

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rimus operam dabimus, ut quam citissime fieri potest, & vos quoque sciatis, Avidissime expectamus literas vestras, ut cognoscamus statum rerum vestrarum, imprimis Ecclesie. Optimè vale, venerande frater, cum omnibus fratribus symmystis, imprimis Domino Conrado seniore & juniore, D. Longlino, D. Christophoro, D. D. Hedione, D. Ludovico, D. Martino & aliis. Valeat quoque tecum quam rectissime, socia vitæ, cum charissimis pignoribus, Raptim ex Lambeto prope Londinum. 26. Aprilis, Anno Salutis M. D. XXXIX.

PLurima salute impertit te tuosque omnes, D. P. Martyr. D. P. Alexander D. Dryander. D. Antonius Gallus, D. Valerandus, cum D. Emanuele & Filio meo Paulo, qui totus factus est Anglus & Gallus, ut sit modo nobis vice interpretis, quod nobis est magno solatio

Inscriptio:

Doctissimo, pijsimoque viro, D. D. Marpachio, Professore Theologie & Parocho Eccl. D. Nicolai ap. Argentoratam. D. & fratri suo colendissimo.

Paulus Fagius.

VI.

SDederat in mandatis nuper, discedens à nobis Polonus nobilis, ut si quid vel literarum vel aliarum rerum ad illum perferri vellem, ad te, Vir ornatissime, recta transmitterem. Te enim pro sua erga ipsum fide & benevolentia diligenter certoque curaturum esse. Mitto ergo fasciculum librorum quorundam, cum literis Calvinii & meis, quem rogo deferri cures Antuerpiam, suscepit eam provinciam non gravatim Flandrus nobilis, qui nuper coram nobis significavit, illuc sibi protectionem institutam esse, cui & literas ad ipsum Calvinii commiseram, & diebus apud vos aliquot hæsurum, Ministerium tuum saluum esse gaudeo, idque eo vehementius, quia id syncerum & incorruptum perdurare intelligo, Christi virtute, tum precor ex animo, ut te ad sui nominis gloriam servet & provehat. Sic enim opus est, adeo in caducum parietem inclinante Ecclesiastico statu. Rogo autem, si per occupationes licebit, aliquando ad me scribas. Cupio enim communionem ministerii tecum inire & retinere. Sicut discedens etiam D. Buccerus, Præceptor noster, commendaverat diligenter. Nunc pluribus non possum: quare vale, Vir ornatissime, & nos ama. Basileæ 26. Junii, Anno 49. Salutatur te reverenter & officiose D. Myconius & reliqui Symmystæ.

r.

Simon Sulzerus.

VII. S. P.